



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Basilea Sacra Sive Episcopatus Et Episcoporum Basileensium Origo Ac Series

Sudan, Claudius

Brvntrvti, 1658

30. Rudolphus III.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11463

RVDOLPHVS II.

Anno
Christi
1107

Comes ab Honberg.

Basileensis Episcopus.

XXX.

PRæposituta Cathedralis, proximus ad Infulam Basileensem gradus fuit Rudolpho: incertum tamen, quo anno; nisi cum MS. Codice, coniecturâ dicamus, evenisse anno 1107. Henrico IV. Imperatore, qui Rudolpho perquam familiariter utebatur. Interfuit Rudolphus Comitibus Argentinæ habitis, post Roma reducem & Augustalibus honoratum insignibus Henricum, anno ipsius regni 6. Imperij primo, Christi III. quemadmodum refert Guilliman. lib. 5. Habspurg. c. 2. & in Cunone Argentinæ. 49. Auxit sua præsentia Rudolphus Procerum Conventum VVormati-

M

ensem

Anno
Christi
1107.

ensem anno 1113. Cal. April. anno
1111. 7. Non. Oct. & anno 1114. 6.
Idus Martij adstipulatus est solenni-
bus tabulis legitimè confectis, tum
Moguntiaë, tum Basileæ, in favorem
Einiudlensium, sive Patrum Benedi-
ctinorum Eremum B. Virg. in Hel-
vetia incolentium. Anno Christi
eodem 1114. regni Henrici 8. Imperij
3. subscripsit Rudolphus diplomati,
quod Imperator Basileæ dedit V Ver-
nero Comiti Hapsburgico, in fi-
dem tutelamque Imperij recipiens
Monasterium Muri ab ipsis Habs-
burgicis exstructum. Approbavit
idem quoque Rudolphus litteras
Comitis Pfirtensis, quibus admitte-
rentur Cluniacenses & ceterorum
nomine Pontius, Abbas in possessi-
onem Altkirchenis Ecclesiæ anno
1115. 19. Calend. Ian. quo etiam an-
no Rudolphus cum Imperatore
Henrico Basileæ egit de Advocatia

Faba-

Fabariensis Abbatia, vulgò Pfeffers, in Curiensi Diocesi sita: sed Romam provocante Geroldo Abbate, jussu Paschalis Pontificis prætensum illud jus abdicare compulsus est. Coràm denique fuit Rudolphus Basileensis Episcopus, cùm Vvalterus à Vvaldeck & Burcardus ab Eistett Barones, anno 1114. Abbatia S. Blasij vallem Totnoviensem & Schônoviensem à Veltberga Pfaffenvegium, usque unà cum subditis jus omne consignârunt.

Anno
Christi
1107.

Circa tempora Rudolphi Basileensis Episcopi, Fridericus Comes Pfirtensis, è regio Francorum sanguine, sacram ædem, veterem Ecclesiam (Altkilcham etiamnum vocant) B. Christophori Martyris dicatam memoria, à suis maioribus ædificatam olim, sed diuturnitate temporis ruinosam restaurare primùm aggressus, prædiis deinde locupletavit

Anno
Christi
1107.

amplissimis. Verum ut eo in loco
divinorum accuratior haberetur ra-
tio, anno 1115. vel potius anno 1105.
(Hugo enim I. Abbas obiit anno
1109.) Cluniacum expedire Nunti-
um placuit, ut ab Hugone religiosos
viros expeteret aliquot, qui Mona-
stica vitæ institutum, simulq; Chri-
stianas virtutes accolis profemina-
rent. Fecit Hugo satis piæ Comitiss
voluntati, dans eundi copiam ali-
quot ordinis suis sodalibus, curâ
ipforum demandatâ Constantio,
viro apprimè religioso. Pergunt a-
lacres, velut ad novum alvearium
verno tempore lætum apum Exa-
men secedit. Excipiuntur à Fride-
rico perhumaniter, & novam sancta
cum vita ducere Coloniam jubentur.
Vnum cœptis, bonisque co-
natibus obsistebat plurimum; Ger-
manicæ imperitia linguæ, in Gallico
solo enutritis, nimius sanè obex ali-
orum

orum promovendæ salutis. Quare, *Anno Christi 1107.*
difficultatem in dies maiorem ex-
pendens Constantius, acceptis se-
cum Friderici Comitis litteris Clu-
niacum redit, Abbati rem, ut erat,
candidè, loci hominùmque condi-
tionem exponit. His auditis patuit
necessitas mittendi ad speratos fru-
ctus colligendos Germanicæ gna-
rum. Erat per id tempus in Arver-
nia B. Morandus, natione Germa-
nus, & nobilibus natus parentibus.
Ille igitur superiorum imperio,
quod Gallicè Germanicèque calle-
ret, ad patrium aerem remittitur, &
maximè omnium gerendis rebus
idoneus, aspirante Deo destinatur.
Vbi adfuit primùm, & Comiti, &
aliis omnibus mirum quantum ac-
ceptus fuerit. Ita enim divino Zelo
incensis adhortationibus & religio-
so vitæ exemplo conspicuus in om-
nium oculis & animo erat, ut com-

Anno
Christi
1107

plures ad sanctioris vitæ amorem
studiumque pelliceret, Cœlo etiam
virtutem ipsius luculentis miraculis
aperiente. Incendium casu in mo-
nasterio exortum efformato saluti-
feræ crucis signo mox restinxit, La-
borabat torpidâ paralyti membro-
rum Fridericus Comes: Morandi
sanctitas membris usum & sanita-
tem restituit. Pauca bene precatus,
quartanam febrim ab Vdalrico Ca-
rolspachio exesse iussit. Duas fœ-
minas ab inquilino Cacodæmone
malè divexatas, adhibitis sacris Ec-
clesiæ carminibus, & re divinâ per-
acta, omni molestiâ liberavit. Plu-
ribus aliis ægris ac Energumenis eti-
am post mortem S. viri profuit ipsi-
us sepulchrum adiisse, eiúsque pa-
trocinium implorâsse. Et hæc om-
nia in vita Sancti prolixius exponun-
tur, quem in Sanctorum numerum
rogatu potissimum Episcopi Basile-
ensis

ensis, à PP. Benedictinis ad hoc jure merito impulsus, deinde retulit Christi Vicarius (nomen Pontificis & Episcopi non exprimitur) ubi legitimis comprobata testimoniis antea actæ vitæ sanctitas, & secuta post mortem miracula, festus eius dies duplici ritu celebratur 3. Iunij in Basileensi Ecclesia, prout habetur in eius Proprio.

Anno
Christi
1107.

In Cluniacensi porrò Bibliotheca ex M. SS. Codd. habentur de S. Morando nonnulla, quæ hic attexere non pigeat iisdem verbis. *S. Hugo primus hoc nomine, Abbatum verò ordine VI. patria Heduensis, Cluniaco Prefectus anno 1049. obiit anno 1109. ordinationis suæ 61. ætatis 86. Cal. Maij. Eius discipulus fuit B. Morandus, cuius sollemnitas celebratur apud eos (Cluniacenses)*

M 4

tertia

Anno *Christi* 1197. *tertiam die Junij. Et vita eiusdem re fertur in actis S. Hugonis I.*

Additur in eadem Bibliotheca privilegium Paschalis I Pontif. factum Monasterio S. Albani Altkirchij & aliis quibusdam Prioratibus Paschalis Episcopus Servus servorum Dei. Reverendissimo fratri Hugoni Abbati Cluniacensi salutem & Apostolicam benedictionem. Religioni vestrae, per omnipotentis Dei gratiam, sedis Apostolica benignitas gratulatur, quoniam plerisque in locis, Deo largiente per vestrae sollicitudinis studium, ubi nulla fuerat instituta, ubi defecerat per Galliarum partes, est restituta religio. Eapropter, sicut ab ipsis Cœnobiis vestri primordiis, ita largiente Domino, usque in finem, vos tanquam charissimos filios Apostolice sedis

sedis tuetur auctoritas. Omnia igitur ad vestrum Cœnobium pertinentia, sicut à prædecessoribus nostris munita sunt, ita & nos auctoritate sedis Apostolicæ munimus. In quibus, ea proprijs vocabulis exprimenda duximus, quæ temporibus nostris per Dei gratiam acquisita, & vestri regiminis dispositioni subiecta noscuntur. Monasterium videlicet S. Albani, à Burcardo Episcopo datum in suburbio Basileæ Urbis. In eodem Episcopatu Altkirchium à Friderico Comite per suprædicti Episcopi sollicitudinem in manus vestras abdicatum atq; concessum. Et post multas Ecclesias alibi, ipsis donatas, sub gravissimo anathemate vetat, ne quis ea loca ipsorum subiecta potestati subtrahat, tandemque concludit: Ego

M s

Pascha-

*Anno
Christi
1107.*

Anno
Christi
1107.

Paschalis Catholica Ecclesie Episcopus &c. Datum apud villam S. Hippolyti VI. Idus Februar. Indict. XV. Incarnat. Dominica 1106. Pontificatus anno 8.

Exactis post aliquot seculis, hoc est, anno 1622. idem S. Morandi Prioratus una cum annexis Ecclesiis & juribus, Patribus Societatis IESV cessit, ut Collegio Friburgensi in Brisgoia, ad Academiam illam vocatis, de victu inde prospiceretur, annitente serenissimo Leopoldo Archiduce Austriae, atque Bullam propriam translationem hanc confirmante Urbano VII. anno 1625. Quae res, ut alibi in simili causa saepius accidit, magni omnino dissidii & altercationum etiam religiosos inter viros seminarium fuit, conflata in Patres Societatis invidia; quod multi translationem hanc Principium

um

Episcoporum series. 187

um non modò supremâ Pontificis auctoritate factam improbarent, hancce mutationem, eiúsque causas & rationum monumenta, aut non penetrantes ex æquo, aut animò solum ad diuturnam annorum possessionem conversò, penitus averfati: cum tamen, si oculos & ipsi ad prisca tempora reflectant, quemadmodum hactenus vidimus non semel, similes quoque, vicissitudines experti fuerint, quas etiam subinde sibi adversas tolerare sapienter novissent eorum Maiores.

Anno
Christi
1107.

LUDOVICVS I.

Comes à Pfir.

Episcoporum Basileensium.

XXXI.

EX Illustri familia Comitum Pfirmensium natus Ludovicus, sed ad splendorem natalium nihil admodum